

BARTHOLOMAEVS CARTHVSIANVS.



**B**artholomeus natione Germanus magna pietate & doctrina insignis fuit. Hic ut Deo inseruite & cōmodius literis inuigilare posset Carthusianorum ordinem assumpsit, atq̄ monasterium ingressus est. Eo enim tempore multi clarissimi viri putabant se nulla alia ratione commodius Deo placere, & librī incumbere posse, quam si monachi efficerentur. Hoc modo Cartusianorū ordo longē lateq̄ serpsit, atque hinc inde plurimas ædes instituit, cum his rigidæ uitæ regulis, quas à Brunone authore suo anno 1080 acceperant. Intima ueste utuntur cilicina, summa pallio nigro, subter cādida toga, tegmineq̄ capitis cucullo. carnibus nunquam uescuntur, sexto plurimum hebdomade die pane & aqua iejunium agunt. in cubiculis quæ uelutis facella habent, soli edunt. certis tamen festis diebus una duntaxat prandent.